



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1618. usque ad annum 1620

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118847

§. 12. Initia Bohemicæ Seditionis a Protestantibus conflatae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67326)

Sæc. XVII.
A. C. 1618.

§. XII.

Initia Bohemicæ seditionis a Protestantibus conflata.

Quamvis tam Rudolphus & Mathias Cæsares, quam etiam Ferdinandus II. Bohemiæ Rex sese Protestantibus tam benevolos exhibuissent, ac toties eorum importunitati pacis studio cessissent, nihilominus hi tam ambitionis studio, quam infano sectæ suæ per fas nefasque protendendæ fanaticismo correpti, hoc anno motuum scintillas in Bohemia sparsere, quæ tam commune concitarunt incendium, ut inde universa Germania diuturnis bellis conflagrarit, ac pene in cineres resederit. Hujus vero tumultus prima origo & causa exstitit, nimia Catholicorum indulgentia erga Sectarios, & horum averſio a Catholicis; postquam enim Bohemia ab avita Religione degenerans, jam a Joannis Hufsi temporibus in multiplicem sectarum colluviem scissa erat, ac præter Calixtinos, & Picarditas, præcipue Lutheri, Calvini & Zwinglii Sectatores, qui Utraquistæ seu sub utraque specie communicantes appellabantur, suorum numero & potentia invaluerant, hi Rudolphum Cæsarem inter arcta prehensum vi metuque eo adegerunt,

*Carafa
comm. de
Germ. Sac.
rest. Ad-
zreiter An-
nal. Boic.
part. 3. l. 3.
Barre hist.
d' allemagne
t. 9. pag. 456.*

Sæc. XVII. runt, ut Regio diplomate, quod *Maje-*
A. C. 1618 *statis literas vocant*, Lutheranis suam
 sectam profitendi, novaque in Regno
 Tempa suis in fundis construendi liber-
 tatem, solis tamen Bohemiæ Statibus
 indulgeret: Hoc obtento Protestantes
 Bohemi hæc ipsa diplomatis verba ma-
 ligne interpretantes, promiscue cunctis
 pro suo arbitrio in quolibet fundo Tem-
 pla erigendi facultatem esse conces-
 sam dictitabant, quinimo, prout
 semper audacior fit Sectariorum factio,
 collatis inter se pecuniis Ecclesiam in
 oppido Brunoviæ, licet ejus Dominium
 ad Abbatem spectaret, & alterum Clo-
 stergrabii, qui vicus Archiepiscopo Pra-
 genfi suberat, construere præsumebant.
 Id vero cum nec Archiepiscopus nec
 Abbas ferre possent, defertur querela ad
 Cæsarem, qui per Provinciæ Præto-
 rem, quod Lutherani in alieno fundo
 Templum invito Domino erexissent,
 admonitus, eis diem dici, ac interim
 inchoatæ molitioni supersedere jussit,
 & petulantiores ex civibus in vincula
 conjici voluit. Verum Brunovienses
 Lutherani, quantumvis & jurisdictioni
 Abbatis ut cives, & multo magis tri-
 bunalis Regis, ut Bohemi, subjecti es-
 sent, nihilominus non modo utriusque
 mandatum vilipendebant, sed insuper
 eorum *Conservatores*, qui libertati, sectæ-
 que

que conservandæ designati erant, eis-
dem præceperunt, ut cæptis Templi
operibus impigre instarent, Regisque
mandata flocci haberent. Tanta est
sectarii spiritus impudentia! Parem Fa-
ni construendi licentiam sibi arrogabant
Clostergrabienses Lutherani; cum vero
a Cæsare hunc ausum reprobari sensis-
sent, cæptum opus funditus subruï per-
miserunt, ac de reparatione haud sol-
liciti, solum alienum Domino suo pos-
sessorique liberum reliquere: ob hanc
tamen submissionem tanquam *imbelles*
& *effæminati* a ceteris Sectariis tradu-
cebantur. Ita nempe apud hosce No-
vatores crimen est in subditis, obedire
suis Præpositis, si hi religione Catho-
lici sunt.

Sæc. XVII.
A. C. 1618.

§. XIII.

*Protestantium comitia Pragæ contra
Regni leges habita.*

Interim Bohemi Protestantes suam in
Regem suum ac Cæsarem pervica-
ciam excusaturi, ubique sparserunt,
violata esse Majestatis privilegia sibi o-
lim a Rudolpho Cæsare concessa: Ut
igitur hujus querelæ momenta matu-
rius discuterentur, Mathias Impera-
tor ac Bohemiæ Rex anno Christi mil-
lesimo sexcentesimo decimo sexto Ru-
dolphi-

Jæger. hist.
Ecc. l. 8. c. 1.
Massen. An-
nal. Trev.
lib. 23.
Bracheli.
Hist. nost.
temp. l. 1.
pag. 5.